

versis & frequenter remotis retrò temporibus, ineffabili interim ciborum, potulentorum, aëris qualitatatum &c. varietate in unum effectum hinc inde ferius aut citius concurrentes ac symbolas suas conferentes. Quemadmodum autem idem prudens Medicus præsentem jam & certis indiciis cognito perspectoque sibi morbo, causaque ejus & occasione proxima saltem aliquo modo indagatâ, de futuris quibusdam symptomatibus in dies aliquot proximos haut infeliciter sæpe conjectat, tametsi remotiorum causarum numero indefinitarum etiamnum sit ignorantissimus: Ita sedulus Anemoscopus sive ventorum spectator, tametsi, quinam ventus aut alii aëris motus ac tempestates in vicinis undiquaque terris in præsens regnent, aut heri nudiusve tertius, imò multo antè tempore regnaverint, aut imposterum regnaturi sint penitus ignoret, ex imminente tamen suæ provinciæ vento tantisper, quod sperat, continuaturo de crastini coeli facie quodammodo conjectare citra crimen, nec sine frequenti eventu audet; certus interim, si ad animum hæctenus dicta seriò revocaverit, eos omnes, qui vel ex astrorum incertis influxibus ac certissimè supputatis constellationibus, vel ex aliis elementaribus causis, huic aut isti Zonarum temperatarum tractui in remota longius ab ætate nostra tempora eorumque certos ac prædefinitos dies vel hebdomadas, aëris mutationes ac tempestates præsignificare præsumunt, non solum à scopo aberrare frequentissimè (id quod experientia partium studio libera satis testatur) famæque adeò jacturam inter cordatos quosque facere haut exiguam, sed & (quod demonstrare præsentis disertatiunculæ primarius scopus erat) in omniscium, & speciatim ejusmodi eventuum, qui vulgò contingentium futurorum nomine veniunt, solum præscium Numen haut parum esse injurios; siquidem præsciendorum talium è causis quidem naturalibus, at innumeris, concatenatione nexuque humanis mentibus imperscrutabili coherentibus, dependentium effectuum debeat

SOLI DEO GLORIA.

